



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Ioannis Ioviani Pontani amorum libri II.**

**Pontano, Giovanni Gioviano**

**Venetiis, 1518**

Tumulus Siluæ puellæ ruina ripæ oppreßæ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13534**

## CANDIDAE virginis. ipsa loquitur.

Nec me marmor habet, nec me tegit urna sepultam.  
 In niueas abij candida uersa rosas.  
 Fote interq; rosas, interq; ligustra quieram,  
 Aura fouet flatu, mater at ipsa finu.  
 Pallida cum cœlo nubes delapsa repente  
 Me rapit, inq; aureas dissipor ipsa leues.  
 Dum natam mater gremio, dum quærit in ulnis,  
 Pro nata niueas reperit ecce rosas.  
 Ne mihi ne lacrimas quisquam, ne munera donee  
 Ad tumulos. horti sunt mihi nam tumuli.  
 O felix cui uere rosæ, atq; æstate sepulcrum  
 Sunt auræ. hinc flores fundis, et hic zephyros.

## VIRIDELLA PVELLAE.

Ipsa met dolens loquitur.

In lapide est titulus viridella, sed ipsa sepulcro  
 Deuirui. heu tumulus nomina falsa gerit.  
 Tabuit in cineres viridella, colorq; decorq;  
 Nullus adest. heu quid nomina uana innant?  
 Quin potius Cinerilla legar, Cinerilla sepulcro  
 Inscrifar, perijt nam uiror atq; uigor.  
 Nec titulo est viridella, nec est viridella sepulcro  
 Nomen, forma, uigor, deniq; nil superest.

## SYLVAE PVELLAE RVINA

ripæ oppressæ.

Me tellus grauat ingenti diuulsaruina.  
 Pro tumulo mons est, quam grauis heu tumulus.

k ij

TVMVLORVM

Incubuit tumulo rupes. hæc ipsa sepulcrum  
Hausta facit, miseris hei mihi quam tumulos.

Increuit tumulo frondenti uertice sylua,  
Sylua mihi est tumulus. hei mihi qui tumulus.  
Qui mihi sit titulus, quæ nomina sylua docebit.  
Sylua mihi titulus, syluaq; nomen erat.

PRVINAЕ PVELLAE. ipsa loquitur.

Nec mihi tristis hyems nocuit, nec sæuior æstas,  
Non terræ, aut tumidi uis inimica maris.  
Tabida uis rapuit, rapuit violentia febris.  
Delicui, ut rapido sole pruina liquet.  
Heu nomen fatale, périnde, ut sole pruina,  
Sic ego pallenti tabe liquens perij.

SVLPITIANAE PVELLAE.

viator et umbra colloquuntur.

Dicite custodes umbræ, quæ tanta sepulcri.  
Cura est? sollicitas cur'ue smaragdus habet?  
Parce hospes uocitare umbras. Amathusides ipse  
Dicimus, et Veneri turba dicata sumus.  
Hic nymphis defleta diu, plorata Camœnis,  
Clamata et Veneri Sulpitiana iacet.  
Deslerunt nymphæ formam, gestusq; Camœnæ  
Plorarunt teneros, compositumq; decusi.  
Clamauit Cytherea oculos, oculisq; pudorem  
Suffusum, et Veneres per labra, perq; genas.  
In frondem nymphæ formam, in floremq; Camœnæ  
Rarum uerterunt, et sine labe decus.  
Inclusit Cytherea oculos, sepsitq; smaragdo,